

FK 127
3

X 1876024

II k
1496

*De Testamentis successioneq hereditaria
Imperat. German. Steyris Carolinae*

AD
VIRUM ILLUSTRUM
**JACOBUM
BORNIUM
JC.**

POTENTISS. ELECT. SAXONIAE
CONSILIARIUM INTIMUM

&c.

**EPISTOLA
CHRISTFR. WÆCHTLER, D.**

DRESDÆ,
Apud Joh. Conrad. Rüger.

19





DE sublimi jure Imperii in regna uno plura, in aula Caroli M. actum deliberatumque est eo tempore, quum testamentum condendum, atque inter tres filios, Carolum, Pipinum & Ludovicum, partitio esset instituenda. Pulchrum esse ajebat Imperator, unum in terris extare summum rerum regimen, cui reges omnes gentesque peraeque pareant, quodque super cetera emineat. Venerando huic imperio ut assefaceret ceteras gentes, primo Francos iis volebat teneri legibus, quas ipse novas traderet. Ceterum proceres Francorum jugum sempiternum veriti, ad Carolum: cur milites tuos, regnum tuum, Franciam tuam, Imperii provinciam facere studes, Imperioque subdicere, rei vagae & profugae? Imperium enim in Francia sempiternum fore, quis spondere ausit? Apud Paulum Aemilium. Itaque de institutis Francis nihil mutatum, testamentumque, cujus gratia suscepta est haec scriptio, ita conceptum: Sicut omnibus vobis notum esse & neminem vestrum latere credimus, quomodo nos divina clementia, cujus nutu ad occasum tendentia secula per successiones generationum reparantur, tres nobis dando filios magno miserationis ac benedictionis suae ditavit munere; quia per eos secundum vota nostra, & spem nostram de regno confirmavit, & curam oblivioni obnoxiae posteritatis leviolem fecit: Ita & hoc vobis notum fieri volumus, quod eosdem per DEI gratiam filios nostros REGNI vel IMPERII a DEO nobis concessi HEREDES relinquere, si sic divina Majestas annuerit, optamus. Non ut confuse atque inordinate, aut sub TOTIUS REGNI DOMINATIONE jurgii controversiam eis relinquamus, sed trina partitione totum regni corpus dividentes, quam quisquis illorum tueri vel regere debeat, PORTIONEM distribuere & designare volumus, eo videlicet modo, ut sua quisque PORTIONE contentus, juxta ordinationem nostram & fines regni sui, quae ad alienigenas extenduntur, cum DEI adjutorio nitatur defendere, & pacem atque charitatem cum fratre custodire. Divisiones vero a DEO consecrati & conservandi IMPERII vel REGNI NOSTRI tales facere placuit: Aquitaniam totam, & Vasconiam (excepto pago Turonico) & quicquid inde ad Occidentem atque Hispaniam respicit, & de civitate Nivernis, quae sita est super fluvium Ligerim, cum ipso pago Nivernense, pagum Avalensem atque Alsensem, Cabillionensem, Matisconensem, Lugdunensem, Sabojam, Moriennam, Tarentasiam, Montem Cinisium, Vallem Segusianam usque ad Clusas, & inde per terminos Italicorum montium usque ad mare: (Andreas du Chesne, hos pagos cum suis civitatibus, & quicquid ab eis contra meridiem & occidentem usque ad mare,) vel usque ad Hispanias continetur, hoc est, illam portionem Burgundiae, & Provinciam, ac Septimaniam vel Gothiam, LUDOVICO (Pio) dilecto filio nostro, consignavimus.

Italiam vero, quae & Longobardia dicitur, & Bajoariam, sicut Tassilo tenuit, (exceptis duabus villis, quarum nomina sunt Ingolsstat & Lutrahahof, quas nos quondam Tassiloni beneficiavimus, & pertinent ad pagum, qui dicitur Northgouve,) & de Alemannia partem, quae in Australi ripa Danubii fluminis est, & de ipso flumine (fonte) Danubii currente limite usque ad Rhenū flu.

Fluvium (iterum du Chesne, in confinio pagorum Chletgouve & Hegouve in locum qui dicitur Auge, & inde per Rhenum fluvium) sursum versus usque ad Alpes, quicquid intra hos terminos fuerit, & ad meridiem vel orientem respicit, una cum Ducatu Curiensi, & pago Durgouve, PIPINO, dilecto filio nostro:

Quicquid autem de Regno nostro extra hos terminos fuerit, id est, Franciam & Burgundiam, (excepta illa parte, quam Ludovico dedimus,) atque Alemanniam, (excepta portione, quam Pipino adscripsimus,) Austriam, Neustriam, Thuringiam, Saxoniam, Frisiam, & partem Bajoariæ, quæ dicitur Northgouv, dilecto filio nostro, CAROLO concessimus; ita, ut Carolus & Ludovicus viam habere possint in Italiam ad auxilium ferendum fratri suo, si ita necessitas extiterit, Carolus per vallem Augustanam, quæ ad regnum ejus pertinet, & Ludovicus per vallem Segusianam, Pipinus vero & exitum & ingressum per Alpes Noricas atque Curiam.

Vides, VIR ILLUSTRIS, ordinem Imperatoris: primogenitum & natu maximum collocantis ultimo loco, natu minimum primo, & medium medio, atque Italiam huic tribuentis. Vides præterea, partibus avitis adjungi ubique portionem finium noviter a patre aqvifitorum, & de locis ad auxilium Italiae ferendum idoneis sollicitum in primis fuisse Carolum Magnum; de imperatoria autem dignitate nihil hactenus diserte cautum, sed totum complexum, nunc regnum nunc imperium, citra eminentiam partis præ parte, appellari. Causæque adeo servit Eugenius Lombardus, Pontificis Romani dispositioni hæc relicta arbitrioque contendens, etiam in Imperio, ceu fatetur ipse, hereditario. Quin & paulo ante adduxerat verba hujus testamenti, quæ curam Ecclesiæ S. Petri omnibus æque injungunt: Super omnia autem jubemus, ut ipsi tres fratres curam & defensionem S. Petri simul suscipiant, sicut quondam ab avo nostro Carolo, & beatæ memoriæ genitore Pipino Rege, & a nobis postea suscepta est, ut eam cum omni adjutorio ab hostibus defendere nitantur, & justitiam suam, quantum ad ipsos pertinet, & ratio postulaverit, habere faciant. Ubi tamen statim, similiter & de ceteris Ecclesiis, quæ sub illorum fuerint potestate, præcipimus, ut justitiam suam & honorem habeant, & pastores & rectores venerabilium locorum habeant potestatem rerum, quæ ad ipsa pia loca pertinent, in quocunque de his TRIBUS regnis illarum Ecclesiarum possessiones fuerint. Quod si de his statutis atque convenientiis aliquid casu quolibet vel ignorantia, [quod non optamus] fuerit irruptum, præcipimus, ut quam citissime secundum justitiam emendare studeant, ne forte propter dilationem majus damnum possit accrescere. Tria regna, tres partes constituit Imperator: atque sæpius hoc genere dictionis in hoc testamento utitur. Post hanc nostræ autoritatis dispositionem placuit inter prædictos filios nostros statuere atque præcipere propter pacem, quam inter eos perpetuo permanere desideramus, ut nullus eorum fratris sui terminos, vel regni limites invadere præsumat, neque fraudulenter ingredi ad conturbandum REGNUM EJUS VEL MARCAS minuendas, sed adjuvet unusquisque illorum fratrem suum, & auxilium ei ferat contra inimicos ejus juxta rationem & possibilitatem, sive intra patriam, sive contra exterarum nationes. Neque aliquis illorum hominem fratris sui pro quibuslibet causis sive culpis ad se confugientem suscipiat ad intercessionem pro eo faciendam: quia volumus, ut quilibet homo peccans & intercessione indigens, INTRA REGNUM DOMINI SUI, vel ad loca sancta vel ad honoratos homines confugiat, & inde justam intercessionem mereatur. Similiter præcipimus, ut quemlibet liberum hominem, qui dominum suum contra ejus voluntatem dimiserit, & DE UNO REGNO IN ALIUD profectus fuerit, neque ipse Rex suscipiat, neque

hominibus suis consentiat, ut talem hominem recipiant vel injuste retinere præsumant. Hoc non solum de liberis, sed etiam de servis fugitivis statuimus ordinandum, ut nulla discordiis relinqvatur occasio. Quapropter præcipiendum nobis videtur, ut post nostrum ab hac mortalitate discessum, homines uniuscujusque eorum accipiant beneficia unusquisque in regno Domini sui, & non in altero, ne forte per hoc, si aliter fecerit, scandalum aliquod accidere possit. Hereditatem autem suam habeat unusquisque illorum hominum absque contradictione, **IN QUOCUNQUE REGNO** eam legitime habere contigerit. Et unusquisque liber homo post mortem Domini sui licentiam habeat se commendandi **INTER HÆC TRIA REGNA**, ad quodcunque voluerit: Similiter & ille, qui nondum alicui est commendatus. De traditionibus autem & venditionibus, quæ **INTER PARTES** fieri solent, præcipimus, ut nullus ex his tribus suscipiat de regno alterius a quolibet homine traditionem vel venditionem rerum immobilium, hoc est, terrarum, vinearum, atque sylvarum, servorumque, qui jam casati sunt, sive ceterarum, quæ hereditatis nomine censentur, excepto (perperam alii ex) auro & argento & gemmis, armis ac vestibus, nec non & mancipiis non casatis, & his speciebus, quæ proprie ad negotiatores pertinere noscuntur. Ceteris vero liberis hominibus hoc minime interdendum judicavimus. Si quæ autem fœminæ, sicut fieri solet, **INTER PARTES & REGNA** fuerint ad conjugia postulata, non denegentur juste poscentibus, sed liceat eas vicissim dare & accipere, & affinitatibus populos inter se sociari. Ipsæ vero fœminæ potestatem habeant rerum suarum in regno, unde exierant, quanquam in alio propter mariti societatem habitant. De obsidibus autem, qui propter credentias dati sunt, & a nobis per diversa loca ad custodiendum destinati sunt, volumus, ut **ILLE REX, IN CUJUS REGNO** sunt, absque voluntate fratris sui, **DE CUJUS REGNO** sublatis sunt, in patriam eos redire non permittat; sed potius in futurum in suscipiendis obsidibus alteri alter mutuam ferat auxilium, si frater fratrem hoc facere rationabiliter postulaverit. Idem jubemus & de his, qui pro suis facinoribus in exilium missi, vel mittendi sunt. Si causa vel intentio controversiæ talis **INTER PARTES** propter terminos & confinia regnorum ortæ fuerint, quæ hominum testimonio declarari vel definiri non possint, tunc volumus, ut ad declarationem rei dubiæ iudicio Crucis **DEI** voluntas & rerum veritas exquiratur, nec unquam pro tali causa, cuiuslibet generis, pugna vel campus ad examinationem indicatur. Si vero quilibet homo **DE UNO REGNO** hominem **DE ALTERO REGNO** de infidelitate contra dominum suum accusaverit, mittat eum Dominus suus ad fratrem suum, ut ibi comprobet, quod de homine illius dixit. De filiabus autem nostris, sororibus scilicet prædictorum filiorum nostrorum, jubemus, ut post nostrum ab hoc corpore discessum licentiam habeat unaquæque eligendi, sub cuius fratris tutela & defensione se conferre velit. Et qualiscunque ex illis monasticam vitam elegerit, liceat ei honorifice vivere sub defensione fratris sui, in cuius regno degere voluerit. Quæ autem juste & rationabiliter a condigno viro ad conjugium quæsitæ fuerit, & ei conjugalis vita placuerit, non ei denegetur a fratribus suis, si & viri postulantis & fœminæ consentientis honesta & rationabilis fuerit voluntas. De nepotibus vero nostris, scilicet filiis prædictorum filiorum nostrorum, qui eis vel jam nati sunt, vel adhuc nascituri sunt, placuit nobis præcipere,

ut nullus eorum per quaslibet occasiones quemlibet ex illis apud se accusatum sine justa discussione atque examinatione, aut occidere aut membris mancare, aut excœcare, aut invitum tondere faciat, sed volumus ut honorati sint apud patres vel patruos suos, & obedientes sint cum omni subjectione, quam decet in tali consanguinitate esse. Satis constat ex hisce, opinor, non mutasse Carolum M. genus loquendi, ubi de successoribus regnorum suorum disponit. Accurate tamen distingvit idem regnum ab imperio, ubi de seipso verba facit iterum, sine Testamenti: Hæc autem omnia ita disposuimus atque ex ordine firmare decrevimus, ut quamdiu divinæ Majestati placuerit, nos hanc corporalem agere vitam, potestas sit super a DEO conservatum REGNUM atque IMPERIUM istud, sicut hactenus fuit in regimine atque ordinatione, & omni dominatu REGALI atque IMPERIALI, ut obedientes habeamus prædictos dilectos filios nostros, atque DEO amabilem populum nostrum, cum omni SUBJECTIONE, quæ patri a filiis, & IMPERATORI ac REGI a suis populis exhibetur. Amen. Plane sicut exordio: In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Imperator Cæsar Karolus, Rex Francorum invictissimus, & Romani Rector Imperii, Pius, Felix ac Triumphator semper Augustus, omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, & cuncto populo Catholico, præsentis & futuro, Gentium ac Nationum, quæ sub ejus IMPERIO ac REGIMINE constitutæ sunt. Ac porao: Hæc autem tali ordine disponimus, ut si Carolus, qui major est natu, priusquam ceteri fratres diem obierit, PARS REGNI, quam habebat, (hic iterum superior occurrit dictio,) dividatur inter Pipinum & Ludovicum, sicut quondam divisum est inter nos & fratrem nostrum Carolomannum; eo modo, ut Pipinus illam portionem habeat, quam frater noster Carolomannus habuit, Ludovicus vero illam partem, quam nos in illa partitione suscepimus. Si vero Carolo & Ludovico viventibus, Pipinus debitum humanæ naturæ compleverit, Carolus & Ludovicus dividant inter se regnum, quod ille habuit. Et hæc divisio tali modo fiat, ut ab ingressu Italiæ per Augustam, (alii Augustiam,) Civitatem accipiat Carolus Eborejam, Vercellas, Papiam, & inde per Padum fluvium termino currente usque ad fines Regensium & ipsam Regium & civitatem novam, atque Mutinam, usque ad terminos S. Petri. Has civitates cum suburbanis & territoriis suis atque Comitatibus, quæ ad ipsas pertinent, & quidquid inde Romam pergenti ad lævam respicit, de regno, quod Pipinus habuit, una cum Ducatu Spoletano; hanc portionem, sicut prædiximus, accipiat Carolus. Quicquid autem a prædictis civitatibus vel Comitatibus Romam eunti ad dexteram jacet de prædicto regno, id est, portionem quæ remansit de regione Transpadana, una cum Ducatu Tuscano, usque ad mare Australe, & usque ad Provinciam, Ludovicus ad augmentum sui Regni fortietur. Quod si, ceteris superstitis, Ludovicus fuerit defunctus, eam partem Burgundiæ, quam regno ejus adjunximus, cum Provincia & Septimania sive Gothia, usque ad Hispaniam Pipinus accipiat; Carolus vero Aquitaniam atque Vasconiam. Quorum singula ex peculiari schemate geographico Imperii Carolini promptius intelliguntur.

Difficile autem foret judicare, utrum artem cauti testatoris rectius tenuerit Carolus Magnus, an tectius mentem illius, adversus quævis subita casuum humanorum occultaverit, quisquis est, autor hujus chartæ divisionis, sive Eginhardus, sive quivis alius ex Karoli instituto. Uterque certe & Ordinibus proceribusque omnium populorum, qui tunc parebant, & legi fatorum veluti ipsi quodammodo satisfecit ex ingenio; quod paulo post, & post multa tempora, sepultaque etiam tantum non Testamenti hujus memoria, & vix extante amplius surculo quoquam lineæ Carolinæ, compertum iterum comprobatumque est. Nam si quis ex tabulis Testamenti illam denique partem adjunxerit,

quam sollicitè recitant Pithoetus, Goldastus, Baronius, Grotius, Franciscus Hottomanus, Obrechtus: quod si filius cuilibet istorum trium fratrum natus fuerit, quem populus eligere velit, ut patri succedat in regni hereditate, volumus ut in hoc consentiant patrui ipsius pueri, & regnare permittant filium fratris sui in portione regni, quam pater ejus, eorum frater habuit: mirabitur temperamentum Testatoris prudentissimum, inter deformem populorum ad ambitionem, eligendi prurium, & abruptam legem ac jura sanguinis fatumque cognationis, æqualitate & citra invidiam decurrens. Quodque est in omnibus ejus generis tabulis primum, discrimen gentium ac nationum, quas jure belli testator domuerit, quæque illarum suo velut arbitrio & laxius regnarentur, pactisque & conventionibus magis quam armis ac legibus obtemperarent, spectum huic Imperatori tantisper, neque de eo hic cogitatum videri queat.

De Italia maxime quæsitum est apud multos. Gregorius III. Carolo, avo Karoli M. claves venerandi sepulchri cum vinculis S. Petri per legationem solennem destinaverat, eo pacto, quatenus Romanam Ecclesiam a Longobardorum tyrannide liberaret & a partibus Longobardorum recederet. Simile consilium Stephani IV. ad Pipinum, nostri patrem. Et hoc jure ille Italiam cum valida Francorum manu ingressus, Aistulphum Longobardorum Regem armis superatum eo adegit, ut Ravennam & Pentapolim & omnem exarchatum ad Ravennam pertinentem Ecclesie Romanæ redderet, functusque officio suo reversus est ad Francos. Rursus Adrianus, cum insolentiam Desiderii & Langobardorum ferre non posset, Carolum nostrum, ut sibi atque Romanis opem ferret, rogaverat. Hic est titulus ille belli in Italiam, imo pro Italia. Habuitque gradus & incrementa sua res tantæ molis. Nam Carolus avus, & pater Pipinus de liberanda tota Italia nondum cogitaverant. Noster autem quum non jam inter Ecclesiam & Longobardos circa exarchatum, sed inter Romanos ac Longobardos, quoad summam regni totius disceptaretur, bellum sibi cum his pro defensione Romanorum suscipiendum rectissime ratus est. Ubi negari nequit, plurimas Italiae civitates se potestati regis Francorum, excusso jure Longobardorum subdidisse. Itaque liberata ab oppressione in favorum suoque domino aut libertati etiam suæ vindicata erat Italia. Carolo ad Francos reverso, & tunc nihil minus quàm de ea sibi subjuganda cogitante, maluerant plures civitates denuo deficere. Itaque Comites ex Francorum gente Italiae civitatibus dandi: sed citra formam regni, & ad declinandam invidiam Orientis. Carolus tamen, ad explorandam vim sententiamque factorum, Pipinum filium Longobardiae, Ludovicum Aquitaniae regem appellari ab Hadriano post Baptismum passus est. Quod enim orandi causa Romam tunc venerit, fidei auctorem relinquo. Non potuit non simulas suboriri hic in aula Orientis: sed tota Italia nondum erat victa, speque nuptiarum fluctuabant consilia. Sensitque adeo noster, non tam cum Pontifice quam cum Imperatoribus Constantinopolitanis causam intercedere, & nihil de Italia acquiri, quod non ereptum Græcis videri posset. Græci vicissim, ne Orientis etiam Imperium in periculum conjicerent, si victoriis Caroli nimium sese opponerent, verebantur. Sed neque sic Carolus induci potuit, ut inhiare Orientis, imo nec Occidentis Imperio, jure arguendus esset: caute hæc omnia administrante Hadriano. Leo autem III. non claves modo S. Petri, sed & vexillum Romæ Urbis, quod ante eum nemo fecerat, Carolo misit, ad firmandum sibi Pontificatum. Quæ res eum tantum non in vitæ periculum adduxit. Sed Carolus cum exercitu Ravennam veniens, & Pontifici præsidium, & sibi, etiam aliud agendo, solennem Imperatoris titulum a Pontifice, adclamantibus omnibus, sed invito Oriente, donec per crebras legationes pacaretur, conciliavit. Cæterum Leo ætati Caroli grandævæ parum fidens, arrepto nescio quo obtentu ad Imperatorem excurrit, & per dies octo de summa rerum inter filios partienda collocutus est. Ita factum, ut Carolus M. testamentum ab optimatibus Francorum jurejurando confirmatum Leoni, qui & assensum facile præbuit, idemque subscripsit, per Eginhardum, omnium & Caroli & Leonis arcanorum conscium transmitteret.

His positis & mentem Testatoris consiliumque, & vim ac robur multorum, quæ circa hanc Romani imperii periodum a multis disputata sunt, dispungere facile est. Quamquam enim adjiciat sub finem Testator: hoc postremo statuendum nobis vide-

videtur, ut quicquid adhuc de rebus & constitutionibus, quæ ad profectum & utilitatem eorum pertinent, his nostris decretis atque præceptis addere voluerimus, sic prædictis dilectis filiis nostris observetur atque custodiatur, sicut ea, quæ de his jam statuta & descripta sunt, custodire & observare præcipimus; in tabulas tamen has nihil quidquam præterea relatum accepimus. Morte autem filiorum, Pipini & Caroli, consilium patris non tam mutatum, quam a Francis plenius intellectum, approbatumque Aquisgranensibus Comitibus fuit. Proximus enim fato suo Imperator Bernhardum, Pipini ex concubina filium, Italiae præfecit & Regem appellari jussit, Pipino autem per omnia succedere noluit, neque ut ei de regno Caroli quidquam, per §. hæc autem tali ordine adjiceretur. Cautum enim fuerat, §. quod si filius cuilibet. ut nepos non subiret in locum patris, nisi ex consilio populi & patruorum. Ludovicus Pius igitur solus Patri Testatori, & jam septuagenario superstes, non Italiam modo sed & Bajoariam & Alemanniam, Franciamque & Burgundiam jure regni, quin tria illa regna, de quibus actum, cum iisque imperium tenuit totum, ejusque successor & consors patri moribundo extitit, collaudantibus hoc institutum, qui parum antehac de diuturnitate Imperii sperassent, primoribus Francorum, ceu divinitus inspiratum. Sed & Bernhardus, quum venissent legati Beneventanorum ex Italia, qui omnem terram Beneventi Ludovici potestati traderent, adeo id non tulit ægre, ut eodem tempore veniret ipse, procerem se, ad genuinas Caroli M. rationes probe intellectas, tradens, & fidelitatem ei cum juramento promittens. Ususque est jure suo Ludovicus Imperator, quum ad diluenda, quæ Leoni mox a primoribus Romanorum objiciebantur, Bernhardum hunc vocaret ad se, & ad investigandam rem totam mitteret. Leo etiam non Bernharo, sed Ludovico per legatos satisfaciendum per omnia, perspexit ac judicavit.

Adeo vero perplacuisse hæc Ludovico Pio compertum est, ut eundem dividendi ordinem inter filios suos tentandum duxerit: cujus divisionis Acta apud Nos extant, ait Baluzius. Hinc vox illa: nequaquam nobis, nec his, qui sanum sapiunt, visum fuit, ut amore filiorum aut gratia, UNITAS Imperii, a DEO nobis conservati, divisione humana scinderetur. Itaque primogenitum Lotharium in conventu Aquisgranensi nominis sui socium, Imperiique & omnium regnorum olim successorem constituit, Pipinum Aquitaniæ, Ludovicum Bajoariæ præfecit, Reges appellatos. Hoc est, quod Agobardus monuit: ceteris filiis vestris designastis partes regni vestri, sed ut UNUM regnum esset, non TRIA, prætulistis eum illis, quem participem Nominis vestri fecistis. Ludovicus autem Patrem per omnia sed præcipiti consilio æquare festinans, perinde Romam miserat acta illius conventus, ac deinde jurare ordines jusserat. Quod juramentum quidem nemini tunc visum fuisse spernendum aut superfluum, sed potius oportunitum atque legitimum, Agobardus animadvertit. Nam & processu temporis omnes literas Imperatorias amborum Imperatorum nomina continuisse. Et Bernhardi motus in Italia, quum præfecturam illam exuere gestiisset, & tyrannidem, hoc est, absolutum & plenum regnandi jus, quin regnum ipsum Franciæ affectaret, apud Ludovicum nihil quicquam valere. Disparem autem fuisse causam Bernhardi cum jure filiorum Ludovici Pii, palam proditum: eique & dignitatem & vitam abstulit ultrix fatum, atque Lothario præterea viam in Italiam & successionem quasi munivit, Pipino autem & Ludovico, natu minoribus, donec post annos complures ex noverca Juditha nasceretur Carolus Calvus, eique nova atque melior regni portio communi indignatione fratrum omnium prioris matrimonii daretur, obsequium contumax tantum non imposuit. Quamquam enim anxio patri consentiret tandem Lotharius ac sacramento testaretur, ut partem regni Carolo quam vellet, daret, tutoremque ac defensorem illius se fore jurando firmasset, multa tamen murmuratio propter contraria & diversa juramenta, & non jam murmuratio, sed tristitia & detractio adversus Imperatorem cœpit existere, mutata illius voluntate, excussoque denique filiorum honore ac cultu. Signantius idem Episcopus Lugdunensis: Dicitis, illam primam divisionem regni, quam inter filios suos fecerat Imperator, (Karolus M.)
nunc

nunc juxta Regum oportunitatem esse mutatam: quod omnino dupliciter falsum est. Instigationibus mulieris mutata est mens Rectoris. Juratum est ergo seniori, (Ludovico Pio,) & eodem jubente idem ipsi juraverunt Imperatori juniori, (Lothario:) & iterum ipso faciente, aliqui ex ipsis juraverunt Regi fratri, (Ludovico,) & ad postremum pene omnes compulsi sunt jurare Puero, (Karolo,) & ne ibi quidem remansit, sed quasi nihil horum fuisset, adhuc (super ultima divisione) exorta sunt juramenta. Sed & a proceribus Francorum peccatum est. Qui enim conspirationes propemodum moliebantur, ne Francia sedes Imperii fieret per Testamentum Caroli Magni, illi nunc Pipinum, nunc Lotharium, ut rem Francicam contra patrem, Ludovicum Pium, capesserent, lacecebant. Mortuo illo, Pipinoque filio, Lotharius primogenitus Ludovico Germanico & Carolo Calvo fratribus novam facile litem intentabat. Gliscebant pridem hinc inde odia, & mature admodum videbant Ludovicus & Pipinus junior, Lotharium post excessum Patris imperium universum sibi vindicaturum. Hic non diffiteretur Nithardus, utrumque, ut imperio post patrem primi essent, laborasse. Certe Ludovicus Germanicus, cum in ultima divisione Patris, sola ei Bajoaria relicta, omne imperium æqua lance Lothario & Carolo Calvo daretur, (tributa tamen Lothario præterea nominis Imperatorii dignitate, & sede Regni, ceu loquuntur Annales Metenses;) Alamanniam patre jam moribundo invaserat, Lothario pariter Caroloque hætenus infestus. Sed mortuo Imperatore, Carolo cum Ludovico, imminente utriusque Lothario, facile iterum convenit. Ille enim Imperatorio elatus nomine, jura naturæ transgressurus, & quæcunque tenerent singuli, erepturus, ut omnia ad se revocaret, metuebatur. Ita intelligo, quod est in Annalibus Bertinianis, & apud Reginonem, Ludovicus & Carolus indigne ferentes, **QVOD REGNO PATERNO** per omnia privati essent, mox fratrem (Lotharium) bello aggrediuntur. Apertius Otho Frisingensis, fratres Lotharii, Carolus & Ludovicus, graviter ferentes, **SI REGNO PATERNO** privari deberent, fratri bellum indicunt. Annales autem Metenses: Lotharium de Italia fero venientem Franci loco patris ejus super se regnaturum suscipiunt: quod fratres ejus non consentientes contra eum insurgere parant. Ubi certum est, eam saltem portionem, quam ultima divisione a Patre Carolus acceperat, a Lothario hætenus non potuisse concoqui. Diserte Urspergensis: Lotharius & Pipinus junior voluerunt Carolum filium Judithæ, cognomine Calvum, ea parte quam sibi pater concesserat, privare. Ascitus autem Pipinus, qui Aquitania dejectus nuper erat, ut numerum faceret Lothario, atque ad declinandam tantisper invidiam facti. Neque frustra Carolus M. disposuerat, ut divisa Italia sedes Imperii perantiqua cederet Carolo, majori natu, & Franciarum Regi, non item Ludovico, minimo natu. Ac vicissim, si Ludovici regnum dividendum esset, pars melior accrescere debuit Pipino, Italiae Regi, non Carolo.

Hic vero ad testatorem Karolum M. itum est, atque ad genuinum intellectum Testamenti nostri, ceu normæ dividendi, provocatum ab ipso Lothario, Pipinoque. Iterum Abbas Urspergensis: voluerunt **SECUNDUM ID TESTAMENTUM**, quod avus eorum Carolus Magnus statuerat, in tres partes regna inter se dividere. Totidem verbis Abbas Stadenfis, voluerunt Karolum Calvum privare ea parte, quam pater sibi concesserat, & **SECUNDUM TESTAMENTUM KAROLI MAGNI** regnum inter se in tres partes dividere, sicque regnum in contentione remansit. Distingvit uterque causam Ludovici a causa & jure Calvi. Nam secundum Testamentum Avi Ludovico nihil poterat adimi; Calvo autem, medietatem totius regni paterni avitque ex ultima divisione pleno jure, & cum autoritate divina paternaque, (ita tunc loquebantur,) affectanti, arma communia videbantur opponenda. Intellexitque Calvus, Imperatorium axioma Lothario pridem concessum, neque de eo certandum esse; sed neque indecorum sibi, corpus imperii regni que Francorum non scindi: quin patris, Ludovici Pii, eandem mentem, consilia

consiliumque pridem fuisse, cum sui adhuc veluti juris sibi que relictus esset. Ita factum, ut quum antehac admonisset eos tantum pater, ut unanimes essent, & se mutuo tuerentur, sive, ut invicem se diligere, & ut alter ab altero protegeretur, ultro nunc consentiret Calvus, mutandam esse formulam pacis divisionisque, ac per ipsum illum Nithardum, qui rem totam descripsit, deprecaretur, haberet Lotharius sua sibi, & quod illi, Calvo, pater suo consensu concesserat, absque conflictu ullo habere permittat, medietatem scilicet totius regni Francorum: promittens, si hoc faceret, fidelem se illi **ET SUBJECTUM** (eadem voce usus Testator Carolus M. §. de nepotibus vero.) fore velle, ita ut **PRIMOGENITO FRATRI ESSE OPORTERET**. Non potuit non benigne audire Lotharius, quæ de subjectione, & cultu Imperatoris, jureque primogenituræ proponebantur. Ut dubitare non liceat, Nithardo, nepoti Karoli M. ex Bertha, qui multas in aula imperatoria legationes obiisset, & jam ætatis provectæ, atque Abbas Centulensis ultimis annis erat, interiorem illorum sensum, quæ Karolus avus pridem agitasset, perinde ac ipsi Ludovico Pio, priusquam incidisset in Juditham, plane fuisse cognitum, eumque tantæ sublimitatis (hoc ipse verbo utitur,) apprime gnarum. De seipso certe iterum fine libri secundi: pars exercitus, Karoli Calvi, quibus haud modicum supplementum præbui, contra Lotharium, strenue conflavit. De patre autem, Angilberto, libro quarto: Fuit hic vir ortus eo in tempore haud ignotæ familiæ, & apud Magnum Karolum merito magni habebatur. Ac ne quis ruditatem seculi nobis opponat, de urbis Laudunensis obsessione, quæ propter Adalgarium comitem illi imminerebat, verbis sensu tinctis: pacem Laudunenses petunt, Adalgarium confestim reddunt, & ut se urbemque absque conflictu in crastinum dedant, cum omni **SUBJECTIONE** promittunt. Ceterum consistere subjectionem illam cum medietate regni Francorum, cui Carolus adhuc innitebatur, non posse visum fuit Lothario. Quodque de consensu ejus in ultimam Ludovici patris divisionem dicebatur, obtentu reverentiæ erga patrem elusit. De tota re Nithardus ipse: quod quidem Lotharius & Ludovicus, tunc scilicet unanimes, audientes, cum nihil ex his indignari se posse viderent, discesserunt. Ventumque foret ad prælium, nisi recedendum ab illa medietate sibi judicasset Karolus. Et Lotharius, si pati potuisset salubre consilium, si fastus & immodica regnandi cupido abfuisset, serio agere debuit, pacemque, cujus conditiones pulcherrimæ tantum non obtrudebantur, Karolo non dare, sed occupare etiam. Nam & Macedo: si secundus, & non **PAR** mihi vellet haberi, facerem forsitan, quæ petit. De bona fide Calvi nulla tunc dubitandi erat ratio. Quumque Lotharius offerre ei videretur solam Aquitaniam, Septimaniam, Provinciam, & decem Comitatus inter Ligerim & Sequanam, accepturus vel tantillum erat, cessissetque tota illa medietate regni Francorum. Sed Lotharius, impar tantæ fortunæ, aut quia corruperat fatum bonæ mentis consilia, **EO MODO** dicebat se ista cedere, ut his contentus **INTERIM** inibi esset, hoc est, statutos hos terminos non excederet, donec Atiniacum statura die conveniant. Hic spes pacis communis cum Ludovico prætendebatur, reapse, ut fraus fieret. Quamquam ne sic quidem a bona fide descivit Karolus. Statutis enim eo tenore consentiunt, ut deinceps Lotharius Karolo ita fidus amicus sit, sicut frater per justitiam fratri esse debet, & regna, quæ illi **DEPUTABAT**, (vocabulo aulico, & jam tunc sæveto,) quæta habere faceret, ac **INTERIM** super Ludovicum hostiliter ire dedisset. lego: desisteret. Namque mox objicitur Lothario, quod pactis non steterit: & in regna, quæ illi **DEPUTAVERAT**, statim direxit, & in quantum potuit, ne illi, Karolo, se subderent, perturbavit, & quemadmodum Ludovicum dolo an vi superare posset, intendit. Iterum, & quod maximum est, in fratrem hostiliter irruit. Similiter Annales Bertiniani & Metenses de Carolo M. Testatore: post hæc, i. e. post testamentum conditum, Imperator dimisso utroque

in Regnum sibi deputatum. Venit stata die Attiniacum Karolus: Lotharius, quum in propinquo esset, venire veluti ex consulto distulit; Ludovico interea conjungente cum Karolo copias pariter & communia consilia. Hinc nova eaque postremae pacis conditiones ad Lotharium: acciperet utriusque portionem regni, alterius usque ad Carbonarias, alterius vero usque Renum. Quod si & hoc renueret, universam Franciam aequa lance divideret, & quicquid horum vellet, suae ditionis esset. Respondit, non illos aliquod tale antea illi obtulisse, atque adeo deliberato opus esse, absente in primis Pipino. Revera, quia pacem absque praelio denegandam decreverat. Quumque ad summam rei succurreret ei IMPERATORIS nomen, quod fratres magna auctoritate illi impositum scirent, quodque officium istud explendum esset magnifice, interrogati legati Lotharii, si quamlibet finitivam sententiam ipsis mandasset, nihil sibi horum fuisse injunctum responderunt. Manifestum est, tantum non omnia, quaecumque postulasset Lotharius, fratres hic obtulisse. Ita cruento Marte pugnatum ad Fontanetum (Fontaney) & causa Lotharii, secundum ea quae diximus, optima, vulnus inflictum haud modicum atque ingens est anno DCCCXLI in agro (ita doctissimus Baluzius passim) Autissiodorensi, (Auxerre.) Namque ab hoc tempore ad alias plane formulas paciscendi descensum: haberet Karolus a Sequana partem occiduam, essentque quasi pace perpetua foederati. Respuit hanc pacem Carolus, si Ludovicus omittendus esset: hoc enim modo arteque Lotharius adhuc imperium omne se retenturum fractus nondum animo sperabat. Tandemque perterruit ipsum foedus Argentoratense inter Carolum & Ludovicum actius: quod quare cum Virodunensi divisione trium fratrum miscendum sit, ceu id fecisse videri potest doctissimus Defensor Libertatis Ecclesiarum Germaniae, libri tertii initio, atque iterum ad *Επιτομήν* p. 26. non dispicio. Neque Regino divisionem Virodunensem confudisse cum foedere Argentoratensi dicendus est, cujus apud eum, dum strictim quaedam persequitur, & hic saltum facit, nulla mentio. Itaque idem ille nunc demum parte secunda Institutionum Juris publici, quae his nundinis prodeunt, foedere hoc fundamentum ad dividendum Imperium jactum esse, distinctius asseruit. Certe illo foedere nihil cum Lothario, sed contra Lotharium tractatum; hostem adhuc, & desperatum magis quam victum, atque nunc, cum divelli fratres non posse deprehenderet, saniora passurum. Concedebant ergo ei supra tertiam partem totius regni, Longobardiam, Bajoariam, & Aquitaniam, totamque Provinciam, & omnia regna Italiae cum ipsa Romana Urbe: propter nomen Imperatoris & propter dignitatem Imperii, quam avus regno Francorum adjecerat. Quam partitionem sedemque regni si quis praeterea secundum fines in Annalibus Bertinianis consignatos, cum Testamento Karoli M. componat, judicabit eam multo faciliorem, nec aequae impeditam, & ad concordiam aptiorem, sed & Imperatori utiliorem. Ludovicus ultra Renum omnia, citra Renum vero Nemetum, Vangium & Moguntiam civitates pagosque sortitus est. Lotharius inter Renum & Scaldem in mare decurrentem, & rursus per Camaracensem, Hainnaum, Loëmsen, Castritium, & eos comitatus, qui Mosae citra contigui habentur, usque ad Ararem Rhodano influentem, & per deflexum Rhodani in mare, cum comitatibus similiter sibi utrimque adhaerentibus. Cetera usque ad Hispaniam Carolo cesserunt. Ita medius inter utrosque incessit Imperator. De fidelitate autem & subjectione, ita, ut primogenito fratri esse oporteat, secundum ea, quae extant, nihil conventum: frueretur alter alterius subsidio ac benevolentia. Quod cum altera illa pacis formula quam antea spernebat Lotharius, non per omnia coincidit, Nithardus tamen rationem totius corporis, Regnique Francorum cum praeminentia capitis familiae regnatricis, maxime in causis universos tangentibus, in mente videatur adhuc habuisse, portionem regni cuius regendam prout melius posset, vocabulo ad Testamentum avitum respiciente, attribuens. Cujus rei argumentum habeo, quod fratres auditis iis, quae Lotharius ob dignitatem Imperii & nomen Imperatoris supra

tertiam

tertiam partem postulasset, quumque memoriam avi, non patris, quam ipsi perpetuo crepabant, resuscitasset, aiebant, se hoc in exordio dissensionis voluisse. Quid autem voluerint ante praelium Fontaneticum, abunde constat. Annales Bertiniani totum hunc contextum consiliorum de Jure sublimi Imperatoris nusquam attigerunt, patiterque Metenses. Certe ex epistola Lotharii junioris ad Nicolaum Papam inferri nequit, Imperatorem Ludovicum II. ab eo vocari PAREM. Tota enim illa scripta est non omnino contra Imperatorem, sed plane contra Carolum Calvum, eo tempore nondum Imperatorem. Hunc æmulum suum & obtrectatorem appellat multoties, petitque, ne aliquem, sui consimilem, super ipsum extollere aut terræ (lego temere) præponere libeat: sed placeat legatos aut certe literas mittere. Se enim Pontifici super omnes coæquales suos obedire velle. Tum vero tres illi fratres, qui Viroduni pacem inierant primum, promiserant deinceps conventu apud Marsnam secundo, jura & statum regnorum, qualis fuerit præcipue temporibus AVI PATRISQUE sui, Caroli M. & Ludovici Pii, observare. Sub iis autem, ut plures essent reges, summa tamen rerum non omnes perinde potitos, largiuntur eruditiores. Itaque cum his non pugnabunt, quæ ex Annuntiationibus Lotharii & Caroli fratrum apud Leudicam DCCCLIV. adducuntur: si aliquis PARI suo superstes extiterit. Nihil aliud enim dicitur, quam id, quod jam ante conventu primo ad Marsnam dictum fuerat, ut quicumque ex his fratribus superstes fratribus fuerit, consentiat, regum filios legitimam hereditatem regni secundum definitas præsentis temporis PORTIONES post eos retinere. Iterum: unusquisque infantibus FRATRIS sui, si obierit, qui superfuerit, conservabit. Hac est eadem illa pars Testamenti aviti, quam recitavimus. Quare eodem pertinere putandum est, quod DCCCLXV. conventum perhibetur, ut nemo SUO PARI suum regnum discupiat. Sequitur enim: Et nemo nostrum suo aut amico aut propinquo vel confœderato, immo nec sibi ipsi seculariter pareat, ut spiritualiter & salubriter parcere possit. Præmittitur autem, ut sic simul conjuncti & nos fratres ac nepos noster ad invicem simul cum DEO nos reconjungamus. Tum vero aliud Capitulare ejusdem anni, si fides annalium est illibata, Et ecclesia nobis & illi, nepoti nostro Lothario, commissa, & regnum UNUM est, & populus, ac Christianitas UNA est. Nam ruditas temporum eo nunquam processit, ut Imperatorio fastigio pares haberentur ceteri reges. Dissertitque in hanc rem, quem ante laudavi, Defensor Libertatis Ecclesiarum Germanicarum libro III. c. XII. erudite. Atque præterea libro V. c. VIII. §. 4. annotavit, Henricum III. Galliarum Regem, culto jam ac velut elaborato seculo, in causa Friderici II. Imperatoris respondisse Pontifici, tanto Principe non esse majorem, imo PAREM inter Christianos, apud Matthæum Parisiensem. Itaque ad oram non scribam, quod recentissimo Libro factum video, pares dici Imperatorem & reges, imperium inter se dividentes. Nunquam etiam id vel dixit, vel scripsit, vel sensit Bœclerus noster: nam & Blondellus ipse in hac faba nihil vel quæsit, vel repperit, & constans tot seculorum usus reclamat.

Fortius adhuc dicendum est, per divisionem Lotharii Imperatoris inter filios tres, Ludovicum, (successorem) Lotharium & Karolum, majestatem Imperii ad tertiam partem non fuisse redactam. Qualis enim futura erat ratio, si Carolus M. aut Ludovicus Pius divisissent inter filios sex, talis extitit ratio, quum Lotharius Imp. divideret inter tres. Neutrubi ergo repugnavit, sub uno Imperatore plures esse reges Francorum; nunc plures, nunc pauciores: cumque Ludovicus hic Junior sive II. Imp. Ludovicum Germanicum, patrum, fœdere arctiori sibi junxisset, firmo æque præsidio usus est, atque reliqui. Didicisse vero his rerum exemplis iterum debuere primores Francorum, nimio illo dividendi pruritu omnium maxime ab ipsismet ubique aberratum. De Lothario enim patre satis constat, eum, si penes ipsum stetisset, cum fratribus suis isto modo nunquam fuisse transacturum, totumque negotium per optimates illos CXX.

ultra svadendi auctoritatem non parum jam tunc assurgentes, confectum. Nunc: quod olim proceribus placuerat, ut totidem reges essent, quot filii, filiis suis ex æquo permittere itidem potuit. Expositum est latus Imperii vastationibus Barbarorum, gemuitque sub tot cladibus non portio aliqua Franciæ, sed universum regnum Francorum; non alio solamine, nisi affectatæ libertatis demulcendum. Quasi in provinciæ formam redacta fuisset Francia, aut Franci facti ob hoc essent stipendiarii, si sedes Imperii in toto corpore firmioribus præsiidiis foret collocata. Videnturque primi illi proceres, qui apud Carolum M. in hanc rem disserebant, de propagando Imperio ad tot stirpis Carolinæ quos ætas tulit, successores plane desperasse, atque adeo calculum cum Imperio citra rationem prudentiæ providentiæque rectoris posuisse. Nec enim propter hoc, quia istud ex Italia in Orientem, ex Oriente ad Karolum M. per grandia aliquot seculorum intervalla revocatum esset, rei vagæ & profugæ nomine proscindendum. Utique vero Ludovicus II. obtrectationes Basilii Macedonis ex Oriente super titulo Imperatoris Francorum, quod non toti Francorum genti imperet, risit. Respondit enim, in tota utique imperamus Francia; quia nos procul dubio retinemus, quod illi retinent, cum quibus una caro & sanguis sumus. Laudavitque responsum hoc etiam ex Francia occidentali, separationem ab Imperio pridem sectante, Petrus de Marca. Sed accuratiore adhuc laude prosequenda est circa eandem rem, cui multum debent profundiora omnis generis studia literæque Jo. Schilteri, J.C. philosophia: id Imperator vult dicere, se esse caput familiæ regnatricis per universam Franciam, pro diviso licet, atque eo ipso & se per totam Franciam imperare eatenus, ut caput & director in causis communibus, etsi cæteroquin Reges per omnia essent æquales potestate, in suos scilicet. Antecedit enim, in reliquis pari potestate singuli in suis gauderent regnis: ita tamen, ut singula a titulo Imperii universali, qui Franciam in istud fastigium & amplitudinem extulerat, quodammodo dependerent, unoque adeo gauderent capite, communi jure pacis & belli & similibus. Res ipsa loquitur, pœnitentia sed sero, ductos Italos Francosque post obitum Ludovici II. de recuperando pristino Imperii splendore vehementius cogitasse, quam cautiùs, & Carolum Calvum nullo alio jure, quam quod ad Pontificem prior magnis largitionibus in Italiam irruerat, Ludovico Germanico prætulisse. Calvus ipse, unius tantum aut duorum annorum Imperator, statim ad Karoli Magni & Ludovici Pii, quin & Lotharii, cum quo paulo ante sævissimis armis pro separanda Francia occidentali debilitandoque Imperio certaverat, exempla judiciorum respexit, & Bosoni, fratri uxoris Provinciam dedit, & REGEM appellari iussit: (hæc erat illa olim recepta loquendi ratio.) Ut more priscorum Imperatorum REGIBUS videretur dominari, ait Rhegino: se vero Imperatorem & Augustum omnium Regum cis mare consistentium appellari præcepit; Annales Fuldenses. Cur non & trans mare? Nugæ. Præstabat igitur, Calvum perinde ab initio statim paruisse Lothario Imperatori, & suo exemplo fundasse hunc titulum, neque totam Franciam in tot calamitates, discordiasque funestissimas per tot annos, etiam post cladem Fontaneticam, qua factus Lotharii deserbuerat, conjecisse. Namque hic veluti morbus diu excruciaverat Lotharium, quod more majorum cuperet Regibus, sed parvulis, nec omnibus cis mare dominari. Præstabat præterea, tres suos ex altera uxore, Hemma, filios, Carlomanum, Ludovicum, & Carolum, eo modo ac sensu Reges appellasse, ut Ludovici Balbi, qui ex Hirmentrude natus antea erat, imperium super portiones illorum extenderetur, easque corpori unitas retineret ex præscripto patris. Ceterum nec Lotharius Agobardi monita, nec Calvus Servati Lupi, Abbatis Ferrariensis, cujus ingenio studiisque ad diversas legationes usus est, tanti fecit. Ut nostræ cupiditates temperentur, & modum aliquem teneant, veniat nobis in memoriam celer eorum transitus, quos in dignitatibus vidimus. Repetamus mores, quibus hoc regnum crevit, & vigit. Nullæ sint factiones, nullæ conspirationes inter nos, qui patrem invocamus DEUM: ne forte dum cupimus nostra securius tenere, vel AD MAJORA CAPIENDA felicius conscendere, justo DEI judicio ruina-

nos

nos regni, quam nostris dissensionibus præparamus, involvat. **EPIST. C.** Putemque mores illorum temporum, atque adeo Pontificum etiam, ab Aimoino ipso tangi subinde ac stringi. At multo magis Italorum Francorumque poenitentia in Carolo Crasso enituit, in quem nulla alia ratione & Italia & Germania & Francia quoque aut consensit aut illapsa est potius, quam tædio divisionum, sub quibus a bene longo tempore tot regna amplissima fatiscebant. Videbaturque sanguis progeniesque primi acquirantis, Karoli M. in Crasso hoc pene deficiens, quodammodo expiari, si in hunc postremo concurreret denuo per integrum pene seculum sparsa discerptaque misere universa Francorum moles. Ceterum nec istud recte & ex sententia cecidit: & quod patri Crassum, Ludovico Germanico, Regi incomparabili, per injuriam creptum fuerat Imperium, a degenerare ac impotente animi filio turpiter elusum est. Sed manibus Caroli M. adhuc per Arnulphum Carlomanni ex concubina filium litandum erat, ac Testamento illius ignobilis admotum Executor veluti dandus. **QUINQUE** enim **REGES**, recitante Bœclero, statim ordinati sunt, & regnum Francorum in quinque partes scissum percubuit: Imperio manente penes Arnulphum, quatuor Regibus fidelitatem & obedientiam ei promittentibus, & nullo jure heredum. Qui locus interpretem eruditum postulare videatur. Ita vero ille more priscorum Imperatorum Regibus facile dominabatur, cui fidelitas ipsorum & subjectio nullo omnino fuso sanguine constitisset. Sed enim, vel sic pudefacta sunt, fatali nexu causarum, Francorum consilia: adeo, ut dilapsis iterum viribus, inopia Successorum laborare Res Publica postremo inciperet, & versa rerum facie non dominarentur amplius Regibus Imperatores, sed Ducibus tantum non parent. Quod in Conrado ferme contigit; cum in Ottone Saxonico, qui repudiaverat hoc diadema odio tot æmulationum dissensionumque, vigeret tamen summum semper & ubique Imperium, Conrado uncto. Perstitit in proposito Ottonis filius, Henricus, & tutiora secutus, pacatius imperavit, diutiusque quam plures Carolinorum; &, tanquam esset in domo Caroli M. natus, Ottonem filium, qui maximus & optimus fuit, senex ipse & morbo gravatus, convocato omni populo, designavit Regem, fratribusque & omni Francorum imperio præfecit, **TESTAMENTO** legitime facto: ceteris filiis **PRÆDIA** cum thesauris distribuens. Witichindus Corbejensis Anna-
lium primo. Ubi statim scriptor diligentiae exquisitioris, Bœclerus: lege successio-
nis successorem constituit, adhibita duplici solennitate, **COMITIORUM**,
& **TESTAMENTI**, quo hæc omnia firmata sunt. Sed & Ottonem I. vindicem ordinationis Caroli M. in recuperanda Lotharingia, i. e. Testamenti Executorem, insigniter laudat Theodoricus de Niem, Elogio utriusque. Revixit igitur Caroli M. institutum, atque insigni supplemento auctum est, quodque a Ludovico Pio varie peccatum, & a Lothario minus prospere nec decenter, animosiusque quæsitum fuerat, a successoribus autem neglectum ac prope sepultum, novam formulam eamque correctam ac stabilem accepit.

Habes, **VIR ILLUSTRIS**, quandam velut periodum **TESTAMENTORUM**, non de privati civium patrimoniis, uter has illasve ædes usu aut mancipio teneat; nec de agrorum finibus, sed quæ publicæ salutis mensuram subministrant ac percolunt, & Regnorum terminos, Gentiumque ac Nationum obsequia regunt, nec tribunali Prætoris, sed totius Orbis judicio circumscribuntur. Sane controversiis antiquis pariter & novis lux inde aut illata, aut accersito saltem colore semper quæsitæ. Juvatque unico Thuani loco, qui & censuram & expositionem meretur, atque ad Galliarum prætextus pene omnes viam stravit, finisse: Cum Ludovicus Pius, Caroli M. nepos, ampla illa Italia, Germaniæ, & Galliæ, quæ a patre acceperat, regna inter filios divideret, regionis illius portio, quæ intra Rhenum & Scaldim jacet, Lothario majori natu filio attributa, ab ipso Lotharici pagi nomen sortita est anno salutis **DCCCLV**, eaque præter Lotharingiam, quæ hodie appellatur, Luxemburgensem ditionem, Vogesi & Arduennæ saltus, Namurcenses, Treviros, Hannonios, Atvaticos & Cameracense territorium complectebatur:

D

atque

FR 11k 1496

atque adeo civitates illas, quæ in ceteriore Rheni ripa sitæ sunt, Basileam, Argentoratum, Spiram, & Coloniam Agrippinæ, Alsatiam etiam, quæ nunc dicitur, & Helvetiorum pagos regnum illud comprehendisse, multi scripsere. Ejus caput Metis civitas erat, ut in qua reges inaugurarentur & regia insignia sumerent. Postea inter Carolum, Lotharii Fratrem, & Ludovicum, Lotharii ejusdem F. regnum ita divisum fuit, ut pars ea, quæ trans Mosam ad Rhenum pertinet, Ludovico Germaniæ Regi cederet, quæ citra Mosam ad Scaldim usque porrigitur, Caroli esset. Inde ad Ludovicum Balbum, Carolum Crassum, Arnulphum successio regni Austrasiæ perducitur; grandi, si cum superioribus conferantur, temporum rerumque discordia & pugna. Quorum negotiorum omnium, quamdiu in publico tractatu versantur ac pendent, studium disceptatioque anceps est.

TU, qui a pluribus annis controversias Testamentorum Illustrium exhauris, atque de Re Publica quotidie respondes, & eventum casuumque futura, non ex longinquo sed velut coram intuens, elaboras, ad gubernanda magna illa seculi exeuntis negotia, (ubi scisso velo, fracta navi, navigandum tamen est,) perenna: Tuique exempli fastigium Ipse supergredere. Nam ceteras artes dotisque Tuas, VIR ILLUSTRIS atque EXCELSE, etiam cum non dominantur, intelligi oportet. Scrib. Dresdæ ultimis Aprilis
clō Ioc XCVII.



1077

MC



FK 127
3

X 1876024

II R
1496

*De Testamentis successioneq hereditaria
Imperat. German. Regis Carolinae*

JACOBUM
VIT
POTEN
CHR
EM
UM
M
AXONIAE
UM
LA
LERI, D.

